



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

§. I. Quibusnam personis committi possit, ac debeat executio rescriptorum  
Apostolicorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

fecta, ut non exspiret morte concedentis; Barbosa *cit. n. 9.* & Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. gloss. 12. n. 42. vers. Sic etiam.*

## §. VIII.

## De forma rescriptorum.

1556.

Quæstio est, qua ratione in rescriptis præscriptus ordo, & forma, seu modus sit servandus? Resp. ordinem verborum, seu scripturæ sic servandum esse, ut, quod prius narratur, vel præcipitur, ante alia sit expediendum, c. *cum dilecta*, 22. *junct. gloss. V. transponentes, h. t.* aliàs processus jure irritus est, non observato ordine *substantiali*; Felinus *ibid. n. 4.* & *gloss. cit. V. irritum*; constat hoc ex ipso textu *citati c. 22. ibi: dictum in super Scholasticum, & conjudices suos invenimus, minus providè processisse.* Cùm enim in literis nostris eisdem principaliter mandaretur, *ut ad prædictam Ecclesiam personaliter accedentes, persone idoneæ administrationem committerent Abbatiæ, cui ad opus ejus fieret hinc inde resignatio subtractorū: ipsi formam mandati Apostolici transponentes, illo capitulo præmissa, de alijs articulis inordinatè plurimum cognoverant:* propter quod processum ipsorum *contra nostri formam rescripti*, ac juris ordinem attentatum, *irritum decernimus, & inanem.* Quod verum est, sive agatur contra, sive præter, seu ultra formam rescripti, seu mandati, *L. diligenter, ff. mandati.* esto partes consentiant in transgressionem formæ; quia forma rescriptorum *substantialis*, est *juris publici*, cui pactis privatorum derogari non potest, *L. 3. C. de jurisdic. Excipe*, nisi forma merè in favorem partium data esset. Cæterum specificè, & non per æquipollens impleri debet; Felinus *cit. ampliat. 11. n. 7.*

1557.

Not. autem, quod dictum est, processum esse irritum, non servatam formam rescripti, intelligi de forma, & modo, qui jure communi non requiritur, sed à delegante *de novo* præcipitur, & inducitur; colligitur ex c. *cum dilecta*, 22. *h. t.* Felin. in c. *fin. de præsumpt. n. 23.* Sanchez *l. 3. matrim. D. 33. n. 4.* nam tali casu censetur *substantialis*, nisi aliunde

colligi possit, quòd ille. novus modus, à delegante præscriptus, sit solum ad instructionem delegati; Pirhing *de rescript. n. 48.* Ex hoc vides in præsentì, processum vitari non servatam formam præscripti, quando hoc præscribit novam formam in commissione facta, ultra id, quod jure communi servandum est. Illud etiam notandum, quòd interdum *ly &* in rescriptis justitiæ, vel gratiæ ponatur pro disjunctiva, & idem sit ac *vel*, *L. Sape, § 3. ff. de verb. signif.* Hoc autem colligendum est vel ex materia subtracta, vel ex intentione mandantis, aut concedentis; exemplum est in c. *2. h. t. de quo V. Pirhing cit. n. 50.* reliqua in hoc puncto jam præmissa sunt.

## ARTICULUS VII.

## De executione, usu, &amp; abusu, rescriptorum.

Supponendum, Executores rescriptorum alios dari ad causas justitiæ, seu lites decidendas; alios, qui deputari solent pro exequendis gratijs, qui nihil habent jurisdictionis, sed nudum ministerium, seu executionem. Si enim habeant aliquid etiam jurisdictionis v. g. receptionem testium, vel quid simile, non sunt *meri executores*; his positis:

## §. I.

Quibusnam personis committi possit, ac debeat executio rescriptorum Apostolicorum?

Cùm non omnes sint jure habiles, ut sint Judices delegati, seu Commissarij, qui exequantur rescripta Apostolica, Bonifacius VIII. in c. *Statutum*, 11. *de rescript.* fancivit, *ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonis, causa literarum autoritate Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem de cetero committantur: nec audiantur alibi, quam in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit commodè copia peritorum haberi;* pro cujus explicatione not. 1. *per dignitatem* hic intelligi, Ecclesiasticam præminentiam junctam cum jurisdictione fori externi; & *per Personatum*, Ecclesiasticam

eam præminentiam, sine jurisdictione; sic Barbofa in c. statutum n. 21.

1560. Not. 2. dictam constitutionem intelligi de executoribus rescriptorum tam justitiæ, quàm gratiæ, modò non sint meri executores; Navarrus in c. cum contingat de rescript. causâ 2. nullitatis, n. 8. item de sub-executoribus, seu subdelegatis gratiarum; cum habeant potestatem cognoscendi, & assumendi Judicis officium; sic Rota Romana decis. 1. aliàs 99. de offic. delegat. in antiquis; etiam iis, qui exequentur rescripta, edita à Legato Pontificis, vel delegato ab illis, sive Legatus sit de latere, sive missus, sive natus, gloss. in c. statutum, V. Legatorum: non tamen de executoribus ad causas temporales Ecclesiæ, quæ tractari possunt etiam coram Judice laico; sed tantum de causis, quæ agi debent coram Judice Ecclesiastico; Franchus in c. statutum, h. t. in 6. n. 12. Unde nec habet locum in casu rescriptorum editorum ab Episcopis, & Ordinariis, gloss. cit. V. Sedis Apostolica, quibus positus:

1561. Quæstio est 1. quid dicendum, si commissio facta sit ad aliquem, qui tempore commissionis factæ habuit dignitatem, quâ resignavit ante præsentationem literarum? R. si commissio ad eum directa sit sub nomine proprio, vel ratione personæ, adhuc exequi posse, & debere, c. quoniam, 14. de offic. Jud. deleg. ibi: quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum commissio emanavit, sibi socium in causæ cognitione adjunxit, nos sententiam illorum (sicut est justa) ratam, & firmam habemus. Nam ex hoc per oppositum colligitur dictum nostrum, ut notat Layman in cit. c. 14. n. 4. excipe, nisi depositus foret ob crimen cum infamia, arg. L. 2. ff. de Senatoribus. Si verò ad eum directa sit ratione dignitatis, & officii, eam exequi debet Successor in officio, & dignitate, c. quoniam cit. Si verò directa sit ad Canonicum Cathedralis Ecclesiæ, cum is propriè Successorem non habeat (gloss. c. quod sicut de elect. V. consentire) censetur facta persona, licet non expressæ nomine proprio, & debet eam exequi etiam resignato Canonicatu, gloss. in c. statutum, V. Canonicis.

1562. Quæstio est 2. quid dicendum, si talis Canonicus, ad quem literæ papales directæ sunt, ingrediatur religionem, possitne illam.

las exequi? R. posse cum licentia sui Prælati, quia status superveniens non facit eum incapacem; Layman in c. statutum, de rescript. n. 7. Similiter Canonicus Ecclesiæ Cathedralis regularis, esto professus, potest esse delegatus, & commissarius Papæ; Abbas c. causam de Judic. n. 9. Sanchez de matr. l. 6. c. 13. n. 83. Layman cit. n. 8. quod etiam procedit ex eadem ratione de Canonico non habente præbendam.

1563. Quæstio est 3. an sufficiat, quòd executor sit in dignitate Ecclesiastica, non perpetua, sed ad nutum revocabili? R. affirmative per Clement. etsi 2. de rescript. ubi dicitur, quòd principalis Officialis Episcopi, & Prior conventualis, licet obedientiarus, delegari possint à Papa: Officialis verò foraneus, vel Prior claustralis, non. Quod procedit 1. esto sit Officialis, seu Vicarius generalis Episcopi electi, & confirmati, sed nondum consecrati; quia consecratio nihil jurisdictionis addit. Clement. cit. gloss. V. Episcopi; sed in Vicario Archidiaconi, vel alterius Prælati Episcopò inferioris, locum non habet; sic gloss. cit.

1564. Quæstio est 4. quid dicendum, si in aliqua diœcesi sint plures Officiales, seu duo Vicarii generales? R. si ambo sint æquè principales, utrique rescriptorum Apostolicorum executionem committi posse, per gloss. marg. in cit. Clement. 2. V. principalis: si autè unus eorum constitutus sit generaliter ad omnes causas, & loca diœcesis; alter verò solum ad certas, vel solum in certa parte diœcesis, hic esse nequit delegatus, seu Commissarius Papæ; Clement. 2. & gloss. ibi V. foraneo; quia sic caret Ecclesiastica dignitate. Idem dicendum venit, si unus eorum sit solum Vicarius in spiritualibus, & alter solum in temporalibus; Layman in c. 11. de rescript. in 6. n. 3. Nam sic postremus neque jurisdictionem, neque dignitatem Ecclesiasticam habet; adeoque Commissarius, seu delegatus Papæ esse nequit; secus est de priori. Vicarius autem Capituli constitutus, Episcopali sede vacante, est Officialis, seu Vicarius jurisdictionis Episcopalis, adeoque potest esse commissarius Papæ, gloss. in cit. Clement. 2. V. Episcopi.

1565. Quæstio est 5. an Prior conventualis possit esse Commissarius, seu delegatus Papæ? R. posse, si præest toti conventui

U u

Regu.

Regularium cum jurisdictione. Nam sic obtinet præminentiam cum jurisdictione super certo Conventu Regularium, *cit. Clem. 2. junct. gloss. V. Electionem*, quod verum est, etsi tales Priores non sint perpetui. Secus dicendum est de Prioribus *claustralibus*, qui in eodem Conventu subiecti sunt Abbati, ad quem pertinet immediatè potestas administrationis, & jurisdictionis. Nam tales Priores nec dignitatem, nec jurisdictionem habent, sed simplex officium, seu curam, ac sollicitudinem; ita *cit. Clem. 2. de rescript. cum gloss. V. Claustrali*.

1566. *Guardiani* autem Ordinis Minorum, esto dignitatem Ecclesiasticam habeant, propter peculiarem ordinis constitutionem delegati esse non possunt ad ejusmodi delegationes: seu jurisdictiones delegatas cum litigio bonorum temporalium junctas; nec eas sine Generalis licentia suscipere possunt Superiores Societatis nostræ, ut tradit Layman in c. *Statutum*, n. 4. quod etiam procedit de Cancellario nostræ Societatis, esto aliàs Cancellarius Universitatis approbatæ à Papa, personatum habeat, & delegatus Papæ esse possit, per Layman *cit. n. 5. excipe*, nisi Papa ex certa scientia ejusmodi Priorem claustralem deputaret delegatum suæ sedis; gloss. *fin. in cit. clem. 2.* quod etiam procedit, si taliter deputaret simplicem Religiosum, ut colligitur ex *cit. c. Statutum*.

1567. Quæstio est. 6. ubi executio causæ per Papale rescriptum delegatæ fieri debeat? Resp. non alibi cognosci, tractari, vel audiri debere, quàm in civitatibus, vel locis insignibus, ubi copia peritorum (juris nimirum) commodè haberi possit, cujusmodi sunt Advocati, Assessores, seu Consiliarij, c. *Statutum*, 11. *de rescript. in 6. gloss. ibid. V. copia, & V. peritorum*. Textus *cit. c. 11.* sic habet: *sancimus igitur, ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus: seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causæ auctoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem de cætero committantur: nec audiantur alibi, quàm in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit commodè copia peritorum haberi.*

1568. Quæstio est. 7. in quo loco Reus conveniri debeat per rescriptum Apostolicum contra eum impetratum? Resp. 1. quan-

do Actor, & Reus in eadem civitate, aut diœcesi existunt, causam committi non posse extra civitatem, aut diœcesim, nisi in casibus expressis, c. *Statutum*, *de rescript. §. cum verò, in 6.* Layman *ibid. n. 9.* quod etiam procedit, esto Reus etiam alteri in alia civitate subditus sit, *Clement. 1. eod.* Si autem sint diversæ civitatis, vel diœcesis, ille debet impetrare delegatum vel in civitate, & diœcesi Rei; vel in alia non propria, nec ultra unam diœcesim existente *cit. c. Statutum, §. cum autem*. Delegatus autem, extra locum commissionis nihil agere potest, nisi de consensu partium expresso, neque alteri causam subdelegare, nisi in eum locum, & personis requisitam qualitatem habentibus, c. *Statutum cit. §. cum autem*.

## §. II.

*An delegatus Apostolicus à partibus munus aliquod accipere possit?*

1569. Resp. quòd talis delegatus *ad lites*, nullum munus à partibus accipere debeat, nisi sit esculentum, vel poculentum, ex mera liberalitate oblatum, quod intra paucos dies absumi possit, c. *Statutum, cit. §. Insuper*; alioquin acceptum restituere debet, §. *Si quid autem*. Hoc autem intelligendum non est de aliis Papæ Commissariis, quibus v.g. dispensationes super votis, vel impedimentis matrimonii committuntur; quia §. *Insuper*, loquitur de delegatis *ad lites*; & cum sit panalis, de casu ad casum extendi non debet; Layman *cit. n. 14. & 18.* sed intellige, ut de his non procedat, *quoad inhabilitatem comparandi dominii, muneris accepti*; quia quoad hoc ille textus est specialis, & novus, præsertim, cum etiam annullat remissionem restitutionis faciendæ factam à dante.

1570. Quæstio est, an consuetudo in quibusdam diœcesibus vigens, ut Officialis recipiat scutum aureum, pro labore in audiendis testibus ad verificanda narrata, quos partes producunt, repugnet huic decreto, ut nullum munus recipiatur; nec accepti dominium acquirat? negat Sanchez l. 8. *matrim. D. 35. n. 10.* quia *datum pro labore*, non est *munus*, vel *præmium*, sed *merces*: mihi verius est, repugna-